

dudum videre desiderarat, Christum, ad spectandum aut illudendum; et non placabimus Deum, si miserimus ei Filium unice dilectum in missæ sacrificio, ut in eo sibi complaceat? Audiamus D. Chrys. hom. XLI. in l. ad Cor. « Non sunt, (hæc inquit) temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis, meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria clamat: Pro omnibus qui in Christo dormierunt, et iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit: hæc enim fiunt ordinatione spiritus. Eis ergo opem feramus et commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui excesserunt, offerentibus eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari, etc.» Illustremus hoc uno vel altero celebri exemplo. S. Bernard. in vita S. Malachie episc. refert, de sorore ejus, audisse eum in somno foris stantem per triginta dies nil gustasse. Re expensa repetit se totidem diebus pro ea non sacrificasse. Ergo rursus pergit pro ea libare, et paulo post videt eam ad limen Ecclesie pervenisse, non tamen intrare posse. Pergit iterum, et cernit eam in Ecclesiam intrasse, sed altare contingere non audere veste subcandida. Demum videt in veste candidissima aggregata cœtui candidatorum. Tum subdit: *Vides lector, inquit, quantum valeat deprecatio justi assidua. Nonne videtur tibi Malachie oratio vicem quodammodo effractoris exhibuisse celestibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod suis meritis negabatur?* Alterum non minores fidei subijciamus ex vita S. Nicolai Tolentinatis; qui cum a quodam defuncto, olim sibi noto, rogaretur, ut missam pro ipso diceret, ille vero causaretur, quod postera die dominico summum sacrum de ea cantare deberet, ait spiritus: «Veni venerande pater, et vide num te deceat precibus tantæ tamque miseræ multitudinis, a qua missus sum, assensum negare, meque miserum tam inhumaniter repellere.» Duxit ergo illum ad alteram eremi partem parvamque juxta Pisas planitiem, ubi promiscui sexus, ætatis, et ordinis innumera multitudo lacrymabili voce preces et missas præsertim ab eo efflagitabat: *Miserere pater, miserere turbæ auxiliium tuum expectantis.* Itaque altero substituto, tota illa hebdomada pro defunctis celebravit. Qua transacta, prædicta anima

Auxiniensis gratias ei pro impertito liberationis beneficio egit, magnamque illius multitudinis partem e pœnis ereptam dixit, apud ser. 10 sept. Nec spernendum, quod D. Antonius episc. III. p. tit. XXIV. c. VIII. p. XV. scribit de Joanne de Alvernia Franciscano, quod cum is aliquando in die commemorationis omnium fidelium pro illis celebraret, summo pietatis affectu, et s. hostiam elevaret, obsecrans Deum, ut amore illius, qui in cruce pependit, animas a se creatas e carcere liberaret, vidit innumeras quasi animas de purgatorio egredi seu scintillas de fornace et ad cœlum evolantes. Denique B. Petrus Damiani card. vir omni fide dignissimus in vita S. Odilonis abbatis Cluniacensis scribit visum eremite cuidam in Sicilia locum, ubi animæ purgarentur, auditaque dæmonum lamenta et ploratus conquerentium adversus eos, qui frequenter illas eriperent, maxime qui de Cluniacensium monasterio essent. Monuit itaque dici Cluniacensibus, ut huic operi constanter insisterent, quo et dæmonibus dolorem gignerent et gloriam beatificam animabus. Quod ubi factum S. Odilo ibidem diem anniversarium animabus fidelium proximum post omnium ss. festum instituit, in psalmis, eleemosynis, et missarum solemnibus peragendum. Claudio cum S. Augustino, serm. XXXII. de verb. apost. dicente: *Orationibus S. Ecclesie et sacrificio salutari et eleemosynis non est dubium mortuos adjuvari.* Quare cessent lacrymæ et lamenta pro defuncto nostro et audiamus D. Ambrosium, ep. VIII. ad Faustinum, de obitu sororis sic suadentem: *Non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor; nec mestificandam lacrymis tuis, sed orationibus animam ejus Domino commendandam.*

## CONCIO XXI.

CEREMONIE, QUÆ DEFUNCTIS ADHIBENTUR.

THEMA.

*In requiæ mortui requiescere fac memoriam ejus*  
Eecl. XXXVIII.

Magna semper fidelium cura fuit, ut defunctos suos cum honore et decore traderent sepulturæ. Ita S. Stephanum curaverunt viri timorati (juxta scilicet funebria ei persolvendo) et fecerunt planctum magnum super eum, Act. VIII. At ni fallor, insinuat hoc Eecl. c. XXXVIII. cum ait: *In requiæ mortui requiescere fac memoriam ejus.* Quando autem quiescit memoria defuncti? Nonne cum honore debito, consuetis Ecclesie cæremoniis, luc-

tuque conveniente ad sepulturam delatus et humatus est? Tunc enim ejus propinqui merito acquiescunt et consolationem accipiunt, doloremque de absente mitigant ac deponunt. Quæ causa, etiam est, quod Ecclesia multifarias circa defunctos adhibet cæremônias, quæ, ut ait S. Augustinus de verb. apost. I. Thess. IV. *Sunt potius vivorum qualiacumque solatia quam mortuorum adjutoria; pompa scilicet funebris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio.* Quare ut ex his viventes non solatia dumtaxat, sed etiam documenta salutaria capiant, ea breviter exprimemus.

Horum rituum aliqui adhibentur ante funeris elationem, alii in ipsa elatione, alii circa sepulcrum.

I. Antequam efferatur funus, solet amicorum aliquis defuncto, ubi expiravit, oculos claudere, ut testatur Dionys. Alexandr. in epist. apud Euseb. l. VII. hist. c. XVII. idemque se fecisse matri suæ scribit S. Augustin. l. IX. conf. c. XII. Id autem fit primo, ad arcendum horrorem, qui orietur in aspicientibus, si apertos haberet cadaver oculos. Deinde, ad indicandum, quod fidelis dormiat, suo tempore evigilaturus: non omnino extinctus sit, ut dixit Christus: *Non est mortua puella, sed dormit*, Matth. IX.

II. Lavatur cadaver, uti fit in Italia, et aliis quibusdam regionibus. Sic tota post mortem Tabitha, Act. IX. S. Udalrici episc. Augustani cum ad lavandum more consueto denudatum fuisset, suavi odoris fragrantia narem omnium replevit, ut habet Beruo, in ejus vita. Fit autem primo, ut corpori hominis justi ad gloriam aliquando resuscitandi suis honor habeatur. Secundo, ut viventes intelligant non nisi ablutis a peccatorum sordibus patere cœlum, juxta id Apoc. XXI. *Nil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Ante mortem igitur adhibendum esse lavaerum pœnitentiæ.

III. Ungitur quandoque et conditur myrrha vel balsamo, et aromatibus, quod solemne erat Judæis, et consuetum olim Christianis quoque, teste S. Gregorio, in c. I. Cant. nunc fere magnatibus solum fit. Primo, ut corpora a fœtore et putredine conserventur, tamquam habitacula animarum Christi sanguine redemptarum digna tali honore et suo tempore revictura. Secundo, ut indicetur defunctum fuisse unctum sacro oleo et chrismate, adeoque regem et militem Christi.

IV. Vestitur seu linteamine solum albo, ut rovocemus nobis in memoriam indumentum candidum quod in baptismo induimus, in signum innocentie conservandæ ad finem usque vitæ

seu vestibis ornatis, ad honorem defuncti, et nostram instructionem, ut immunitatem a peccati labe, etiam virtutibus condecorandam esse sciamus.

V. Tumbæ lignæ seu loculo includitur. Primo, ad fidem resurrectionis, in qua lignum aridum reflorescet, indicandum, uti vult D. Amb. in c. VII. Luc. de filio viduæ loquens: «Spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno, quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Jesus id tetigit, proficere cœpit, ad vitam, ut esset judicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. Secundo, ad insinuandum, omnem mundi pompam et potentiam divitiasque in parvo includi loculo, et deferri ad sepulcrum.

VI. Tumbæ insternitur velamentum nigrum pretiosum, uti factum refert D. Hieronym. in obitu Blesillæ, ep. ad Paulam quo vita ejus laudabiliter decursa, et præclare facta representantur. Justiniani imp. tumbæ stragula injecta vestis fuit, in qua opere phrygio intextæ erant ab ipso victarum urbium et barbarorum regum, quos ipse suis auspiciis debellaverat, icones, Baron. tom. VII. ad ann. Justin. XXXIX. Notat ergo hoc operimentum sua quemque opera sequi ad alteram vitam, et nihil aliud. Quod et antiqui Romani expresserunt, cum præclaris viris insignia honorum, quos gessissent, ut fasces, securas, et arma militaria, coronasque quas meruissent, vexilla atque urbium dona spoliisque hostium et decora majorum, totiusque familie simulacra in oblongis perticis seu hastis præferebant, quanto poterant cum apparatu, auct. antiq. Rom. l. V. c. XXXIX. Hujusmodi pompa erit illorum in cœlo, qui hic se viros exhibuere strenuos in militia christiana.

VII. Vigilatur ad cadaver cum psalmis et hymnis, unde vigiliæ mortuorum institutæ juxta Gregor. Nyssen. epistol. ad Olympiadem, in subsidium defunctorum, Tertullian. l. de anim. c. LI. refert se novisse feminam, quæ cum in pace dormisset, et morante adhuc sepultura, interim oratione presbyteri componeretur, ad primum habitum orationis, manus a lateribus dimotas in habitum supplicem conformavit, rursusque finitis precibus ritui suo reddidit.

VIII. Dum effertur cadaver, primo, statuitur ad fores domus, vel extra domum in publico ad spectaculum mortis in ipso contemplandæ. Id sibi fieri petiit a filio S. Pelagia, apud Greg. Turon. l. de gloria conf. c. CIV. Similiter Maximilianus I. imp. jussit, quando inter vivos esse desiisset, omnibus etiam infimæ sortis hominibus conspicienda proponeretur: *Ut ita, sicut, vel meo exemplo discant omnes, nulla diademata,*

opes nullas, nec ulla imperia a morte eripere possidentia, Rhein. Hadamar, in instit. princip.

Secundo, vestes a propinquis nigræ induuntur; tum ut luctum de amici obitu testentur, eujus anima ad regionem migravit nobis ignotam, tum ut vestitu a communi consuetudine alieno significent sibi omnes jam mundi delicias una cum defuncto mortuas esse; quo modo dixit S. Elisabetha, audito de mariti Ludovici morte nuntio: *Mortuus est ergo frater meus? Ergo jam cum ipso totus mihi mundus mortuus esto.*

Tertio, crux processioni præfertur, ut indicetur primo, mortuum sub vexillo, dum viveret, militasse Deo; secundo, eundem sub hoc vexillo, cum apparuerit in secundo Christi adventu, revicturum et salutem adepturum. Tesseram ergo ejus militarem mortuo præferimus, ac simul Christum ducem militiæ nostræ admonemus, ut suum militem agnoscere ac præmiare, meritumque suæ crucis facere participem velit.

Quarto, gestantur prope corpus mortui lumina et cerei accensi. Ita factum in tumulatione B. Virginis Mariæ uti scribit Nicephor. l. II. c. XXII. et in funere Constantini M. Euseb. lib. IV. de vita ejus, c. LXVI. Idem fieri præcipit S. Athanas. apud Damascenum, l. de mort. suffrag. Fit hoc primo, ut indicetur defunctos secundum animum vivere, fuisseque filios lucis, et virgines prudentes, qui obviarent sponso cum lampadibus, adeoque lumen fidei ad mortem usque conservasse. Secundo, respondet S. Chrys. orat. II. in ep. ad Hebr. *Quid sibi volunt claræ lampades? Annon eos tamquam athletas deducimus.*

Quinto, psalmi et hymni accinuntur voce lugubri; quem ritum etiam legere est in S. Dionys. de eccl. hierar. c. VII. Primo, ad temperandum luctum, juxta id apostoli: *Non contristemini sicut et cæteri, qui spem non habent*: et in S. Chrysost. hom. de SS. Bernice et Prosdoco: « Mors requies quædam laborum finis sudorumque retributio, ac certaminum præmium et corona. Propterea principio quidem super mortuos planetus et lamentationes fiebant, nunc autem psalmi et cantus hymnorum, etc. » Secundo, respondet idem Chryst. orat. IV. in c. II. ad Hebr. « Quid autem hymni? Annon Deum glorificamus et gratias agimus; quod eum, qui excessit, coronaverit? Quod a laboribus liberaverit? Quid ejecto metu eum apud se habeat? » Respondet idem homil. LXX. ad pop. « Quanam de causa, quæso, presbyteros voces psallentes. Nonne ut te consolantur? Nonne ut defunctum honorent? »

Sexto, pulsantur campanæ primo, ut fideles admoneantur ad præstanda charitatis officia et præcandum pro defuncto. Cum enim extincto

aliquo sonat campana, dicere solemus: *Quis est mortuus? Deus det illi requiem æternam.* Secundo, ut hoc audito sonitu recordemur illius tubæ, quæ nos revocabit ad judicium: quemadmodum hac campana evocatus mortuus ad cœmeterium et sepulcrum.

Septimo, turba hominum funus comitatur, uti factum Luc. VII. in funere filii illius viduæ: et apud S. Hier. in funere Paulæ et Fabiolæ, ut alibi diximus: apud Sulpitium in funere S. Martini, cui adfuere duo millia monachorum. Primo, ut defunctus cum honore velut Dei servus conducatur ad suum lectulum quomodo angeli deduxerunt Lazarum in sinum Abrahæ. Secundo, ut funeris comites seipsos admoneant, velut brevi secuturos, cogitentque se quoque jam ad sepulcrum pergere, etsi per ambages, dicantque cum Davide: *Ego vadam magis ad eum*, (defunctum) *ille vero non revertetur ad me*, II. Reg. XII. de quo S. Paulin. ep. ad Pammachium inquit: *Docuit rex propheta, quam post nostros sollicitudinem debemus induere, videlicet, ut de nostro itinere laboremus.* Hanc sollicitudinem gessit pro se Abraham, quando mortua uxore emit in sepulcrum ejus speluncam duplicem, Gen. XXIII. Sed cur pro funere uno duplicem? Quia duos habebat oculos, in quorum uno posuit uxorem, in altero reservavit sibi sepulcrum, uti placet Abulensi. Ita enim dum alium sepelimus, cogitemus etiam de sepulcro nostro.

Tertio, post deductionem funeris primo, thure incensatur corpus, tum ut indicetur vivendum Christianis (et vixisse defunctum) ita, ut odorem bonæ famæ de se spargant, juxta id apost. *Christi bonus odor sumus*, II. Cor. II. deinde, ut moneantur adstantes ad pias et ferventes ad Deum preces pro defuncto fundendas, juxta id P. CXL. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Deinde aqua benedicta aspergitur, tum ad fugandos dæmones, ne sepulcrum infestent; tum ut indicetur sepultum fuisse baptizatum.

Quarto, sepelitur, non stans, more Judæorum qui adhuc expectant Messiam suum, sed supinus et jacens versus orientem. Ratio primi, quia scimus jam advenisse Messiam, in quo secure requiescimus. Ratio secundi, quia Christus tam in cruce, quam in ascensione sua convertit faciem suam ad occidentem: itaque statuimus sepultos ante faciem Christi, ut in eam quasi aspicientes velut in auctoritate fidei, adscribant ei salutem suam.

Quinto, sacerdos et circumstantes aliquod terræ particulas in sepultum injiciunt, primo, ut ostendant se paratos ad sepeliendum illum,

et modo aliquo juvent, velut opere misericordiæ bono. Secundo, ut seipsos mortis admoneant. Illud enim: *Memento homo quia pulvis, non tam mortuo, quam viventibus dicitur.*

Sexto, tumulus super sepulcro erigitur, ut admoneantur viventes, qui et quanti sint, qui in vita se dilatant, nec nullis contineri spatiis possunt. Inculcat illis hoc Chrys. in orat. de fide et lege: « Circa sepulera philosophamur, (inquit,) videntes ossa nuda et statim cogitamus et inter nos disputamus dicentes: Ecce qui tandem ex nobis fit, et quo abimus? » Et infra: « Ea propter Deus ubique sepulera fieri voluit, ut illis nostræ ipsorum infirmitatis memores fieremus. Ideo omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulera habet, ut contendens intrare civitatem, quæ imperat et floret divitiis et potentatu, aliisque dignitatibus, priusquam videat, quod secum concipit, videat primum quod fit. »

Septimo, tumulus aut tumba passim floribus respergitur vel inscriptione aliqua aut epitaphio cohonestatur. Et hoc amoris et honoris gratia, et ut defuncti memoria ad tempus saltem supersit. Rectius tamen sapiunt, qui elemosynis et aliis piis operibus eos juvant; quod in Pammachio laudat S. Hier. epist. ad ipsum: « Cæteri (inquit) mariti super tumulo conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos et dolorem peccatoris his officiis consolantur. Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda elemosyna balsamis rigat, etc. »

Octavo, crux super tumulum erigitur, ut indicet sepultum militasse, sub hoc signo, et per id salvandum esse. Ad hæc ut quemadmodum vivens non erubuit hoc signo frontem consignare, ita mortuus quoque id præ se ferat atque ostendet. Denique ut ostendat hoc signo Tau se munitum esse contra percutientem angelum, cum resurget in judicio.

Nono, defuncti maxime viri sancti et præclari in dignitate constituti laudabantur oratione funebri ut testatur Dionysius Theodoret. et alii apud Gretser. de fun. Christi. l. II. c. XIII. Sed laudabatur ibi virtus tantum, non forma, non divitiæ, non uxorum et liberorum multiplicitas, etc. quemadmodum faciunt prædicantes, extollendo unumquemque in cœlum pro aureo nummo, tametsi is homo pauci fuerit.

Decimo, celebrantur pro defunctis in templo exequiæ cum sacrificio missæ; et primo, in ipso die, quo ad sepulcrum deponuntur, ut recenti in eorum memoria ferventiores fiant preces. Secundo, die tertio propter eum, qui tertio die a mortuis resurrexit, ut ait S. Clemens, l. VI. const. apost. c. XLVIII. Tertio, die septimo, quia dies ille, dies quietus est, ex D. Aug. l. II. quæst. su-

per Gen. ad fin. Unde luctus septem dierum habetur in Eccl. c. XXII. Trigesimus ex veteri Hebræorum more Gen. L. ubi Joseph patrem Jacob planxit triginta diebus, Aaronem, Num. XX. eundem celebrari sibi petiit, S. Ephrem in suo testamento. Anniversarius, quia in eo cum communiter reminiscimur defunctorum nostrorum, decet ut in precibus quoque non simus immemores, ne inanis sit recordatio. Deinde sicut beatorum in cœlis colimus anniversarium ad profectum et incitamentum nostrum: ita fas est, ut animarum illarum (quia statum earum ignoramus) agamus memoriam annuam pro illarum bono, si adhuc in pœnis forte tenerentur, ut docet Amalarius Fortua. lect. V. de off. diu, cap. XLIV. Denique audiamus S. Chrysto. hom. XLI. in I. ad Cor. « Oportet ei, qui excessit succurrere non lacrymis, sed precibus et supplicationibus et elemosynis, et oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis mysteriis meminimus, et pro ipsis accedimus rogantes agnum propositum, qui mundi peccatum tulit, sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re is, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, et iis, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit: hæc enim fiunt ordinatione spiritus. Eis ergo opem feramus et commemorationem eorum peragamus. Si enim Jobi filios expiabat patris sacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis qui excesserunt, offerentibus eis existat aliqua consolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari, etc. »

Quare adeste animis charissimi dum hæc aguntur, non corpore solum, quemadmodum ligo aut aliud vespillionis instrumentum hærens ad sepulcrum. Hi enim quasi voces quædam defuncti sunt et gestus, quibus partim implorat opem vestram clamans illud: *Miseremini mei saltem vos amici mei*: partim admonet vos imminetis periculi ut attendatis vobis, tamquam brevi futuri, quod jam ipse est, insonans illud: *Memor esto judicii mei, sic enim erit et tuum. Mihi heri et tibi hodie.*

## CONCIO XXII.

AD QUID IN MUNDO MORS.

THEMA.

*Siccine separas amara mors? I. Reg. XV.  
Nihil est in hoc mundo, quod ita hominem*

terreat æque ac amara mors. Quod vel inde ostenditur, qui etiam delectissimos quosque, seu parentes seu conjuges, seu filios sustinere in ædibus nostris nolumus, sed quamprimum elatos cupimus. Unde statuere Ægyptii, ut si quis filius hæres mortuorum parentum debita non mox dissolveret, cadavera eorum in domo ejus hærent, nec sepulturæ mandarentur, quoadusque creditoribus satisfaceret, quasi nullo atrociori tormento compelli ad satisfactionem posset quam fœtore et putredine cadaverum, etiam parentum, teste Diodoro apud Bellon. l. II. de sepult. c. II. Rursum si quis pater filium occidisset, tribus diebus et noctibus stare ante cadaver occisi compellabatur, eumque indesinenter intueri: quod putarent aërii pœna reum non posse mulctari, quam aspectu mortis, quam causasset tristissimaque ejus imagine, teste eodem Diodoro, l. I. c. VI. Crudelissimi etiam tyranni aliqui quos atrocissimo torquere supplicio volebant, cadaveri alligarunt humano, ut ejus partim horrore partim fœtore miserrime interirent. Denique ipse Deus horrorem mortis auxit, quando legem tulit, ut qui mortuum tetigisset, immundus esset, Num. XIX. *Omnis, qui tetigerit animæ humanæ morticinum, immundus erit. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.* Unde nec poterat illo tempore adstare sacrificio. Et quid mirum homines terri mortis aspectu, cum etiam bruta animantia terreantur suorum comparum cadaveribus, uti in bobus et equis cernimus; quomodo refugiant, mugiant, etc? Et cur ergo, dicet aliquis, mors tam horrida non abolita est et a conspectu hominum longissime avveruncata? Causæ sunt gravissimæ, quarum aliquas hic indicabimus.

I. Ad horrorem et defestationem peccati nobis insinuandam, uti docet S. Augustinus, l. de peccat. meritis et remiss. si quidem per illud *intrauit mors in orbem terrarum*, Rom. V. Quia enim peccatum in sua fœditate et horrore oculis cernere non possumus, sed objective solum adeoque tenuiter valde apprehendimus, ideo proproposuit nobis Deus filiam ejus primogenitam, uti appellatur Job, cap. XVIII. (*Consumat brachia illius primogenita mors*) ut ex filia istius horrore cognosceremus fœditatem matris scilicet peccati. Jam vellem cogitare, quis sensus fuerit primis nostris parentibus, quando coram se viderant occisum a fratre Abelem, qui ad id usque temporis mortuum nullum conspexerant, nec facile cogitare poterant, quid et qualis esset homo mortuus; hominem viderant jacentem sine omni sensu et motu, totum lividum ac cruentum, hor-

ridum et fœtentem jamque scatentem vermibus! Quantum putatis redarguerunt se ob peccatum suum, cum ejus prolem jam aspicerent tam monstruosam! Et nos quantum abhorremus a conspectu pendulorum in patibulis; cum jam undique corrosi et putrefacti sunt! A cadaveribus in sepulcro jam semicorruptis! Denique intueamur cadavera quotidie nobis proposita et in sepulcrum elata. Quæ causa horum tam tristium spectaculorum? Solum et unicum peccatum. Et si filia ejus primogenita, mors, tam deformis est, qualis erit secundogenita, mors, inquam, in gehenna? Quæ vero horum calamitatum causa? Quæ harum aliarum parens? Non nisi unicum peccatum quod admisere nostri parentes, rapiendo pomum sibi vetitum. Exclamare hic cum Jacob deberemus, quando cruenta filii tunica ipsi ostensa fuit: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph*, Gen. XXXVII. Quæ causa fuit, cur Deus terram Sodomorum quæ prius erat sicut paradisi Domini (Genesis XIII.) seu hortus amœnissimus ita vastarit universum, ut in mare mortuum fœtidum, bituminosum, teterrimum, exhalans fumum converterit, et in hodiernum usque diem omnibus circum habitantibus ostendet? Respondet ad hoc Sapiens, Sap. X. *In testimonium nequitia fumigabunda constat terra, etc.* q. d. voluit Deus extare monumentum peccati Sodomorum, e quo velut e fonte profluxit hoc mare mortiferum, quod omnibus piscibus vitam adimit, cunctaque virentia depascit, omniaque fœtore et horrore complet. Similem calamitatem, imo longe majorem universo humano generi intulit peccatum; quando hominem speciosissimum, jucundissimum, lætissimum occidit, et per mortem convertit in deterrimum, horridissimum, tristissimum mundi spectaculum.

II. Ad depressionem divitum et superbiorum hujus mundi potentum, qui cum alti de se sentiant, et sublime sapiant, cæterosque infra se contemnunt, hoc fræno indigebant, ut se homines esse nossent, juxta illud: *Consumat brachia illius primogenita mors, avellatur de tabernaculo fiducia ejus et calcet super eum quasi rex interitus*, Job. XVIII. Ex Hebræo verti potest: *Ambulet super eum rex terrarum*. Quis autem hic nisi eadem illa primogenita mors. Solebant olim victores debellatorum regum colla pedibus calcare, ad deprimendum eorum fastum; uti præcepit Josue principibus exercitus sui, Jos. X. *producere quinque victos reges et subjectorum colla pedibus calcare.* Hunc in modum Michael Balbus, apud Cedrenum, in historiæ compendio, de Thoma quodam læsæ majestatis reo pœnas exigit. Porrectum enim in pavimento ja-

cere jussit, cervicemque ejus pedibus suis calcavit, tum pedibus manibusque mutilatum ei asino impositum spectaculi loco per castra circumduci jussit, nihil aliud vociferante, quam *Miserere mei, qui verus es Rex*. Vidit Deus ambitionem hominum, et velin Adamo statim sensit, tum quasi Deus esse vellet sciens bonum et malum: itaque ut scelus hoc læsæ divinæ majestatis opprimeret, mortem super homines immisit, quæ superbos quosque prosternat in sepulcrum et sepultos pedibus calcet. Exemplo sit Alexander M. qui tot victoriarum gloria inflatus et assensatorum palpo delusus eo insolentia venit, ut pro Jovis Hammonis filio haberi se, et coli pateretur, teste Justino, l. XI. Qui tamen antequam trigesimum tertium ætatis annum attingeret: *Decidit in lectum, et cognovit quia moreretur*, ut dicitur I. Maccha. I. Sed non eo usque tulit insolentiam ejus mors: prius jam in obsidione cujusdam urbis circumeuntem telo vulneravit, et adegit, ut agnosceret sese moriturum ac diceret: *Omnes quidem jurant me Jovis filium esse, sed vulnus hoc me hominem esse clamat*. Refert Sen. ep. LX. ad Lucilium. Quo mortuo quidam philosophorum dixit inter alia: *Heri Alexander terram oppressit, hodie a terra opprimitur*. Et quid Nabuchodonosor, quid Nero, Domitianus, Caligula, Heliogabalus imperatores? Quid non vastitatis orbi terrarum intulissent, si immortales se cognovissent, quis eorum insolentiam et tyrannidem compescere potuisset? Mors sola facile potuit, dum homines esse ostendit, qui pro diis se jactabant. His talibus precatus jam olim fuit David mortis terrorem, ut eo consternati desinant inolescere, et cum pavone inspectis cinereis suis pedibus alas demittant, Psal. IX. dicens: *Constitue Domine legislatorem super eos*, (Hier. vertit ex Hebr. *pone eos terrorem*) ut sciant gentes, quoniam homines sunt. Quis iste legislator, quis iste terror, nisi mors, qui juxta legem statutam omnibus indicit moriendum esse, et cum evenit hora, rapit omnes atque ostendit, ipsos non esse deos, non angelos, sed homines, ab humo dictos et formatos, denique in humum reversuros? Quo legislatore sublato, quis coeret orbis tyrannos?

III. Ad solatium hominum miserorum, pauperum et electorum. Tanta enim est Dei bonitas, ut supplicium peccati verterit in remedium malorum, quæ incurrimus per peccatum. Ideo enim Adamum et Evam post peccatum emisit e paradiso, educendo nimirum suaviter per angelum, ut sentit Abulensis, extra paradysum; ne si ibi morati comederent de arbore vitæ, viverent semper miseri. Unde Rupertus in eum locum scribit: « Peccavit, (inquit Deus) homo, et quia

felicitem perdidit, æternitatem quoque præripimus infelici, ut in neutro sit quasi unus ex nobis. Nobis est æterna felicitas, felix æternitas sit illis temporalis miseria, vel misera temporalitas et tunc illius commodius reformetur æternitas, cum fuerit reparata felicitas. » Certe miserorum solatium vel unicum est mors, ut patet in S. Job, qui in sua calamitate sic orabat: *Quis det, ut veniat pœnitio mea, et quod exspecto tribuat mihi Deus? Et qui cepit (conterere) me, ipse me conterat, solvat manum suam, et succidat me*, Job. VI. Considerabat enim se velut arborem carie et vermibus erosam ac putredine plenam, insuper a vento agitatam, et nunc ruinæ proximam, adeoque succidi ocuis petiit.

Deinde accedit in solatium pauperum, quando moriuntur opulenti. Videbis enim multos divites qui tota vita nihil egenis tribuant; sua saltem opulentia dignum: at cum ipsorum aedes mors pulsare incipit, tum jubent fieri elemosynas, nullo accipientium respectu: legant in testimonio pia munera hospitalibus, templis, pupillis, orphanis, etc. Quemadmodum enim mors primogenitorum omnium coegit Ægyptios, ut comedarent Hebræis vasa aurea et argentea, etiam non repetituri ea, atque ita spoliarentur ipsi, et inde ditarentur Hebræi, Exod. XI. ita etiam per instantem mortem compellit Eucliones, ut opes suas tandem dispertiant in egenos. Hinc non male antiqui Plutum, seu divitiarum deum finxerunt in adventu claudum, in recessu alatum; quia divitiæ lente velut claudis pedibus adveniunt in vita, in morte vero avolant quasi penne aquilinis. Denique, in solatium justorum, qui mortem desiderant velut finem laborum, et tempus mercedis post exactos suos labores: quemadmodum dicitur Job. VII. *Militia est vita hominis, et sicut dies mercenarii dies ejus*: et c. XIV. *Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus*. Miles expectat spolia et stipendium post pugnam; mercenarius post labores quietem et mercedem: sic electi quoque suam, quæ non venit, in morte; ut idem Job explicat, c. III. *Qui expectat mortem et non venit; quasi effodientes thesaurum; gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum*. Solebant antiquitus condere thesauros in sarcophagis et sepulcris, velut in locis sacris et horrore plenis, adeoque securis. Unde, qui thesauros fodiendo quærebant, cum in ejusmodi sarcophagum incidere, gestiebant velut reperturi ibi thesaurum. Hunc in modum justi qui thesaurum suum in cælo quærunt, cum ad sepulcrum appropinquant, exultant, velut reperturi in thesauro sibi reposito.